





10.

DISSERTATIO PERIODICA  
DE  
**CINNABARIS**  
**INERTIA MEDICA.**

QVAM  
PRAESIDE  
**IOHANNE FRIDERICO**  
**CARTHEVSER**  
MED. DOCT. ET PROF. PVBL. ORD.  
DIE IX. MARTII, MDCCXXXIII.

H. L. Q. C.  
DEFENDET  
**IOH. CHRISTIANVS LINDNER,**  
LIGNIZENS. SILESIUS.

---

FRANCOFVRTI AD VIADRVM,  
TYPIS PHILIPPI SCHWARTZII, ACAD. REG. TYP.

DICTA NIHIL MOROR, à vero cum forte recedunt.  
Sæpe graves, magnosque viros, famaque verendos  
Errare & labi contingit, plurima secum  
Ingenia in tenebras consuerunt nominis alti  
Authores, ubi connivent, deducere easdem:  
Tantum exempla valent, adeo est imitabilis error:  
Nemo putet sibi me addictum. Mihi flectere mentem  
Sola solet ratio, ratio dux fida sophorum est  
Hanc scrutator amet veri, in primisque sequatur

PALINGENIUS in Zodiaco vita.

**VIRO  
PRAENOBILISSIMO, EXCELLENTISSIMO  
EXPERIENTISSIMO  
DOMINO  
CHRISTIANO ADAMO  
GORN**

MEDICINAE DOCTORI ET PRACTICO  
APVD IVRAVIENSES LONGE  
CELEBERRIMO

FAVTORI ATQVE PATRONO SVO,  
OMNI OBSERVANTIAE CVLTV AD VLTIMVM  
VITAE HALITVM DEVENERANDO  
HAS PAGELLAS DISPVVTATORIAS  
IN SVI AMORIS ET REVERENTIAE TESTIMONIVM

CONSECRAT  
RESPONDENS

YRIO  
PARADISO AEROPHANTISMO  
YPERIATISMO  
DOMINO  
CHRISTIANO ADAMO  
GORI  
MEDICINA DECORI ET TRICHO  
VBD HERALDICE TONIS  
CETEBRATI  
TUTORI ATQUE PATRONO GVD  
OMNI OPERA MATER CIVIA AD ALTIUM  
MATE HARTIUS PRAEVERBO  
HOC PAGINA DISPUTATORI  
IN SANCTIS ET ELEGANTIA TESTIMONIUM

CONSECRATA

BLADOURI



## PROOEMIVM.

**O**vanquam primis artis salutaris temporibus supellex pharmaceutica admodum curta fuerit, totaque medicina paucarum duntaxat scientia herbarum, adeo nihilominus temporis progressu prior increvit, ut ample etiam atque operose exstructae officinæ pharmaceuticæ singula, que successivè innotuerunt, medicamina citra onus insigne amplius capere nequeant, & medici prudentiores magis ea propter de minuendo, quam augendo eorum numero solliciti esse debeat; presertim, cum undique multa ac varia, bona, mala, tuta, periculosa, activa, inertia &c. promiscue congesta inveniant, & introducta.

A

Super-

Superbiunt quidem infidorum & inertium aliqua speciosis titulis, aut oculis forma blandiuntur externa: Sed, quid opis apud ægros à coloris amœnitate, à nitida forma externa, à specioso titulo, exspectandum? Infida sœpius nocent, quam prosunt, inertia ægros æque atque medentes decipiunt, & spem utrorumque eludunt. Numerofissima profecto exempla suppetunt, quæ corroborandi fine prolixè possent adduci, nisi scopus, & angusti hac vice præfixi limites tantam interdicerent prolixitatem: Ne penitus cæteroquin probatio deficiat, adserti veritatem brevi cinnabaris scrutinio ostendere conabor. Diu enim, quod utique mirandum, iners ac fatuum hoc concretum principem penè locum in officinis obtinuit, ac tot tantisque à rerum chymico-pharmaceuticarum scriptoribus ornatum, vel rectius, oneratum fuit encumiis, ut omnes propemodum practici ad istud in casibus periculosisimis, ceu ad sacram anchoram, summa fiducia pleni confugerent, idemque singulis pulveribus, singulis potiunculis, aliisque compositionibus antispasmodicis, antiepilepticis, nervinis, cardiacis &c., efficacissimi condimenti loco, admiserent, licet semper extiterit, & hodiendum existat inter innocentia

*innocentia innocentissimum, & prorsus ad agendum  
juvandumque ineptum. Quæ autem ut pateant lu-  
culentius, nec illi, qui putatitio huic pharmaco vale-  
dicere nondum audent, sed istud patrocinio suo ulte-  
rius dignari & imaginarias ejusdem virtutes, vel  
præjudiciis occœcati, vel contradicendi quodam  
pruritu impulsi, strenuè defendere, omnibusque ner-  
vis suffulcire contendunt, falsò opinentur, memet,  
aliosque, qui dudum inertiam illius agnoverunt, in-  
nocentiam ejus lœdere, aut famæ, quam consecutum  
est, quidquam malitiosè detrahere velle, absque præ-  
famine ulteriori ad illud penitus lustrandum me  
accingam, & sufficientes, quod spero, medicæ in  
hoc passu heterodoxiae rationes reddam.*

### THES. I.

**C**INNABARIS est siccum ac ponderosum concretum  
sulphureo-mercuriale, gratissima quidem post  
perfectam trituram rubedine, nullo autem odore,  
nullo sapore præditum.

### THES. II.

Triplex cinnabaris species, *nativa* videlicet, *factitia*  
*vulgaris*, & *cinnabaris antimonii*, civitatis pharmaceuticæ  
jura successivè adepta est. Præterito quidem seculo, &  
sub

sub initium præsentis medicorum plerique à factitiae vulgaris usu interno adhuc abstinebant, & posteri diutius certe ab eodem, ex vano perniciose violentiae metu, abstinuissent, nisi viri quidam docti, & in chemicis operationibus versatissimi innocentiam illius, & perfectam cum speciebus reliquis, quoad elementa, indolem ac vires, similitudinem clarè ac solidè monstrassent, ac demonstrassent.

## THES. III.

CINNABARIS nativa in *Carinthia, Styria, Carniola, Bohemia*, maxime autem *Andalusia & Biscaia, Hispaniae* provinciis, nec minus in *Hungaria & Peruano* novi orbis regno è terræ visceribus eruitur, vel frusta majora, minora, puriora, impuriora, per aquas subterraneas abraſa, & ad telluris superficiem abrepta, ex rivulorum ac fluminum fabulo colliguntur <sup>a)</sup>, posteaque, à partibus heterogeneis lotura debitè purgata, venduntur.

a) Prope *Sclanam*, superioris Hungariae pagum, ditissimæ mineræ mercuriales & cinnabarinae reperiuntur, è quibus magna mercurii & cinnabaris quantitas quotannis eruitur. Minera effossa terram unctuosam, & lapidem varii coloris forma externa refert, & ideo etiam *minera mercurii unctuosa, miniata, rubra, grysea, lutea &c. vocatur*. Contunditur illa sub peculiaris molendini pistillis, & inde resultans materia unctuosa-fabulosa in foci planis, modice inclinatis & linteo obductis, auf den Plan *Heerde* lavatur, ut aqua, placide per planum foci inclinatum decurrens, terram inertem, aliasque partes leviores heterogeneas secum abripiat, cinnabarinae autem moleculæ, ob ponderositatem inter lintei fibrillulas relictae, colligi, & collectæ ulteriori in alveolis lotura depurari queant.

queant. Hæc cinnabaris nativæ species dicitur *cinnabaris lata*, ac multum ex ea mercurii, destillationis descendioriæ ope, resuscitatur. Multum præterea cinnabaris ibi locorum ab hominibus plebejis ex rivulis, mineræ memoratae vicinis, fabulum extractum in alveolis lavando, colligitur. Occurrunt frusta minora & majora, fabam persæpè magnitudine superantia, purissima, & rugini instar pellucida, qua ideo etiam optimam ac pretiosissimam cinnabarim nativam constituant. Rusticorum alii prope rivulorum ripas faciunt foveas, & loturæ beneficio ex terra limosa mixta cinnabaris frustula separant, immo sunt, qui grana, ac satis magna subinde frusta, hinc inde in nidis latitantia, ex agris eruunt, ac, penitus à sordibus liberata, vendunt. a)

#### THES. IV.

Quod factitiam vulgarem, nec minus antimonii cinnabarim attinet, de iis cuvis chymico notissimum est, & esse debet, quod prior ex una parte sulphuris vulgaris, & partibus tribus mercurii vivi depurati; posterior autem ex mercurio sublimato, antimonio crudo pulverisato in retorta anatica quantitate addito, sublimationis, centies ab auctoribus descriptæ, beneficio a) producatur, ita tamen, ut in hac æque atque illa nil, nisi argentum vivum, & sulphur minerale, mixtionem ingrediatur.

a) B. HOFFMANNVS in *Observationibus physico-chymicis selectioribus* β), cinnabaris, etiam humida via parandæ, mentionem fecit: Injicitur nimirum mercurius vivus tintaturæ sulphuris volatili, cuius præparationem loco citato pariter tradit; sic facta leni agitatione, color

α) Vid. Bruckmanni *Magnalia Dei in locis subterraneis* P. I. p. 261,

β) p. 228,

tinctura aureus confestim in viridem, posteaque nigrantem mutatur, & continuata vitri succusione, ipse mercurius vivus in pulverem gryseum dissolvitur, & ingratus odor sulphureus successive perit. Pulvis quoque gryeus, leni accidente calore, rubicundissimum post aliquot dies colorem, totamque cinnabaris formam induit. Hoc productum, et si cinnabarim colore ac forma externa æmuletur, mihi tamen perfecta cinnabaris, ob nimis parcam partis sulphureæ præsentiam, vix esse videtur. Continet quidem laudata tinctura pauxillum sulphuris veri, in tenerimas moleculas dissoluti, quod liquido ex paullatina atque spontanea partium sulphurearum præcipitatione patescit; at exigua hæc quantitas mercurii globulis debite involvendis, & quasi conglutinandis nondum sufficere viderit. Quicquid interea sit, cinnabaris hæc nondum inter consuetâ pharmaca locum adepta est, & parum proinde refert, utrum vera sit atque completa cinnabaris, antalis duntaxat adpareat.

## THES. V.

Tripli huic cinnabaris speciei nonnulli adhuc quartam, nimirum *tunc cinnabarim* a) addunt, quid? quod, concretum tale cinnabarinum ex omnibus metallis eadem methodo, mutatis tamen pro metallorum diversitate mutandis, præparari posse perhibent a). Verum enim vero, hæc ac reliquæ, ex mercurio vivo, & putatatio metallorum sulphure parandæ, cinnabaris species veris concretis cinnabarinis nequaquam adnumerandæ sunt. Metalla pura enim nullum sulphur completum,

a) vid. Becher, in Oedipo chymico p. 70. & in Phys. subterr. Suppl. II. p. 55. & 112. It. Du. D. Pottius in Diff. de Sulphuribus metallorum p. 9. seqv.

pletum, cum vulgari comparandum, sed tantummodo  
longe subtiliorem ac simpliciorem substantiam phlogis-  
tam in mixtione sua sovent, quæ cum mercurio in ve-  
ram cinnabarim combinari nequit. Memorata igitur  
producta nihil sanè aliud sistunt, nisi mercurium, post  
solutionem & præcipitationem igne fortissimo sublima-  
tum, ideoque rubedinem suam & habitum externum  
cinnabarinum minime unito sulphuri metallico, sed uni-  
ce acidis spiritus nitri particulis, cum mercurii globulis  
simil evectis, iisdemque firmiter adhærentibus, debent.  
Quis itaque vires anodynæ & antispasmodicas aliasque  
egregias ab ejusmodi concretis, indole aliquantulum  
corrosiva fine dubio prædictis, exspectabit? Quis ea cin-  
nabaris veræ loco ægris exhibere audebit?

a) In *Alchymia denudata* a) cinnabaris lunæ præparatio ita  
describitur: Binæ argenti cupellati unciae in aqua forti  
solvuntur, solutio spiritu salis, aut sale culinari in aqua  
dissoluto, vel una etiam olei vitrioli uncia præcipita-  
tur, deinde tres unciae mercurii vivi adduntur, & destil-  
latio, eidemque succedens sublimatio, in cucurbita arenæ  
imposita, instituitur; sic penitus abstracto phlegmate,  
igne ad summum gradum auctio, duplex materia siccâ,  
levior altera, porosior, flavescent, quæ parti superiori  
adponitur, altera rubra, priori longè compactior, quæ  
paullo inferiorem locum occupat, sublimatur. Hæc ul-  
tima igitur pro vera cinnabari habetur, & ex sulphure  
lunæ & mercurio nata creditur; ast absque solido, uti  
jam dictum, fundamento. Cinnabarim enim duntaxat  
rubidine & habitu externo refert, haud quidquam ra-  
men sulphuris veri atque completi in mixtione sua re-  
conditum gerit, sed mercurius in aqua forti solutus,

præcipitatus, tandemque igne violentissimo in sublime evectus, colorem suum rubicundum unicè ab infixis, ac firmiter sociatis acidis aquæ fortis seu nitri spiritus particulis nactus est. Nam rubicundum ejusmodi concretum etiam obtinetur, si sola creta Colonensis, citra mercurii atque argenti additionem, in aqua forti soluta, & oleo vitrioli secundum descriptam methodum præcipitata, sublimatur: Immo, mera solutio mercurii vivi, cum aqua forti facta, & aliquantulum vitrioli oleo præcipitata, duplex sublimatum, album nimirum atque perfecte rubrum suppeditat; quemadmodum hæc & hujus commatis experimenta alia, ab ANDREA HERMANNO Medicina Doctore & Præthico Neuropolensi in Hungaria, ad detegendum hunc errorem suscepta, in Annalibus Physico-Medicis Wratislaviensibus a) videri possunt.

## THES. VI.

Quoad elementa, seu partes constitutivas nihil plane discriminis cinnabaris verae species intercedit, sed cinnabaris nativa pura æque, ac cinnabaris antimonii & factitia vulgaris, ex solo mercurio currente, & sulphure vulgaria proportione composita est, ut cum septem vel octo circiter mercurii vivi partibus unica saltem sulphuris pars firmam unionem subeat. a) Quicquid ceteroquin de sulphure solari, quin ipsis auri moleculis, in cinnabari nativa Hungarica  $\beta$ ), non procul ab auri mineris effossa, itemque de sulphure puriori, & anodyno vitrioli in antimonii cinnabari narratur, merito ad aniles fabulas, & alchymicorum somnia pertinet. b)

a) b) Pra-

a) Ann. 1720. p. 102, seqv.

 $\beta$ ) Vid. Wedel, in Pharm. p. 139. it, Ettmüller, in Oper. T. II. p. 816,

a) b) Præter mercurium currentem vulgarem, & sulphur minerale, pariter vulgare, nullum principium aliud cinnabaris cujuscunque mixtionem ingredi, & laudata quoque elementa perfecta, quoad formam externam atque indolem, pollere similitudine, ex syncrisi æque atque diacrisi, h. e., ex compositione cinnabaris antimonii & factitiae vulgaris, ut & harum & nativæ resuscitatione, præsertim addita martis limatura suscepta, optimè probatur. Provocabo ad chymicorum recentiorum testimonia, immo ad propriam provocare possim experientiam: Maxima sanè circumspetione cinnabaris, tam nativæ, quam factitiae utriusque, resuscitationem institui, at nil peregrini, nil diversi circa segregata principia observare mihi contigit, sed forma, colore, proprietatibus & effectibus sibi invicem erant simillima. Valdopere igitur mirandum, quod olim tot doctissimi alias viri, immo neotericorum nonnulli in cinnabari nativa, circa auri mineras genita, sulphur solare, vulgari longe præstantius, & in antimonii cinnabari non tantum sulphur, vulgari purius & solari analogum, sed singulare etiam sulphur vitrioli anodynum  $\alpha$ ) quæsiverint: Ubi enim in cinnabari nativa sulphur solare hæret? quam formam obtinet? quomodo sese istud à vulgari distingvit, & quibus argumentis præsentia ejus probatur? &, quid sulphur purius, solari analogum, est in cinnabari antimonii? unde in eadem sulphur vitrioli accessit. Sulphur profecto solare in nativa, & anodynum vitrioli in cinnabari antimonii entia existunt imaginaria, nunquam ullo experimento, ultra observatione, aut ratione demonstranda. Sulphur, ex resuscitata cinnabari nativa & antimoniali productum, vulgari, uti antea dictum, per omnia simillimum reperitur, & nihil quoque auri, aut solaris principii mercurius inde prolicitus reddere valet, et si multiplici adficiatur tortura. Testem in hoc passu adducere

adducere possum B. HOFFMANNVM, qui ita de sulphuris vulgaris & antimonialis similitudine scribit <sup>a)</sup>, „Sulphur itaque, ex antimonio hoc modo extractum, quo ad omnes proprietates sulphuri vulgari simile est; si quidem illud, cum sale tartari si liquatur, transit in massam rubicundam, ex qua affuso rectificatissimo spiritu, tinctura, quæ à tinctura sulphuris non differt, extrahitur rubicunda. Pariter si hepar solvitur in aqua, & solutioni acetum instillatur, lac sulphuris præcipitatur; cum argento vivo si miscetur, in cinnabarim quoque sublimatur &c. Quod deinde sulphur vitrioli anodynum artinet, à nullo pariter unquam solide demonstratum est, puro vitrioli acido, & ab inquinantis casu illapsis penitus libero, sulphur reperiri unitum. Quomodo igitur inde sulphuris quidquam in antimonii cinnabarim transire potest? Posito quoque, ast non concessò, acido vitrioli gravissimo, quod oleum vocant, sulphuris pauxillum esse sociatum, nondum tamen exinde sequitur, istud, acido relicto, sese præparationis tempore mercurio sublimato insinuare. Ex vitrioli calcinati enim additione, quando mercurius sublimatus paratur, omnis in hoc passu error enatus est: Additur quidem vitriolum leniter calcinatum sali culinari decrepitato, atque mercurio, ut acidum ipsius specificè gravius acidum salis culinaris specificè levius extrudat, & à terra alcalina separet, ast unâ cum iisdem non adscendit, multo minus mercurii sublimati mixtionem ingreditur, sed denuò acidi subtilioris locum in terra alcalina occupat, & mercurius sublimatus proinde ex solo mercurio vivo, & acido salis culinaris componitur. Facile præterea credendum est, acidum vitrioli partes sulphureas seu inflammabiles, si quis sulphuris completi loco tales adsumere vellet, sub prædicta miscela nunquam esse dimisurum, cum cuivis chemicorum notissimum sit, substantias

<sup>a)</sup> In Obs. physico-chymicis select. p. 248.

tias sulphureas teneriores nulli acido adhærere tenacius, quam vitriolico, ceu omnium fortissimo atque gravissimo, & longè arctiore affinitatem istud & substantias inflammabiles, quam hasce & mercurium, aut acidum levius salis culinaris intercedere. Quomodo igitur acidum fortius violentum à mitiori spolium metuere potest? Sed missis hisce transeamus ad breviter quoque lustrandam sulphuris & mercurii proportionem, quam ita in cinnabari comparatam esse affirmavi, ut sulphuris quantitas ad mercurii quantitatē fese habeat ut 1. ad 7. vel ad  $\frac{7}{3}$ . Priorem proportionem præter complures alios ponit LEMERY <sup>a</sup>), posteriorem vero supputationi debo, propriæ experientiæ superstructæ. Præparationis tempore vulgo quidem una sulphuris pars tribus tantummodo mercurii partibus additur, verum, sub colligatione ac transformatione dictorum ingredientium in æthiopem mineralem, sulphuris pauxillum, & deinde multum quoque sub ipsa sublimatione citra unionem cum mercurio secedit, quod partim exhalando abit in auras, partim sub levis ac nigri pulveris forma in parte superiori vasis sublimatorii lateribus adhæret. Certo igitur certius est, sulphuris quantitatē in cinnabari pura tam exiguum esse, ut parum fiducia, si alias cinnabaris aliqua in corpore activitate polleret, in eo collocandum sit. Quid auxilii enim à septima vel octava sulphuris parte exspectandum est, si pulveri, una vice exhibendo, unicum cinnabaris granum additur?

## THES. VII.

Partes sulphureæ, igne liquatae, mercurii interjecti globulos disjungunt, eosdemque, ceu cortex nucleus, ambiunt, & hi sulphuri, tanquam mel cellulis ceraceis, hærent

<sup>a</sup>) Vid, ejusd. Materialien - Lexicon p. 313.

hærent immersi, ut ideo in unam coire nesciant molem, nec quidquam ab extra illos adgredi, corrodere, aut alio modo solvere valeat, nisi, fracto prius atque remoto cortice sulphureo, viam sibi paraverit.  $\alpha$ )

$\alpha$ ) Grayiter illi cum LEMERY  $\alpha$ ) errare videntur, qui acidas sulphuris partes, relicta parte phlogista, mercurii globulis firmiter adhærescere credunt. Equidem si id fieret, aliqua etiam mercurii corrosio fieri, & cinnabaris necessariò saporem aliquem & indolem quodammodo corrosivam nancisci deberet; quod nunquam tam obseruatum fuit, sed cinnabaris insipida prorsus & omnis acredinis expers deprehenditur. Cingunt solummodo integra sulphuris partes divisos mercurii globulos, & interpositione sua collectionem eorum in unam molem, nec minus dissipationem halituosam atque secessum in igne fortiori impediunt. Ejusmodi enim virtus non tantum sulphuri minerali, verum etiam substantiis quibusvis aliis, resinosis, pinguisibus, unctuosis &c. propria invenitur: Quem enim latet, mercurii currentis fluorem tolli per miscelam atque tritaram cum unguento pomato, terebinthina & similibus?

### THES. VIII.

Cinnabaris, ut ut in pulverem redacta subtilissimum, neque cum aqua frigida ac tepida, neque cum salmis, lixiviosis, acidis temperatureibus, & inflammabilibus spirituosis liquoribus, licet centies, leni etiam filtri succussione in auxilium vocata, reaffundantur, chartam bibulam transit, sed citra ponderis decrementum, citra ullam coloris, formæ atque indolis metamorphosin, in eadem remanet.

THES.

---

$\alpha$ ) Vid. ejusd. Cours de Chymie p. 270.

## THES. IX.

Obsequium quoque, ob refractariam suam indo-  
lem, menstruis aqueis, salcis, spirituosis inflammabilibus, quid?  
quod, acidis corrosivis fortissimis denegat, neque in partes  
similares, neque dissimilares, et si injecta diu in iisdem  
relinquatur, dissolvitur. Non speranda pariter singularis  
solutio in lixiviis aquo-alcalicis, nisi ea concentrata sint, &  
ipsa accedat coctio completa & ad notabile tempus pro-  
tracta. a)

a) Concentratæ salis tartari solutioni cinnabaris subtilis-  
simè pulverisatæ portionem injecti, & vitrum digestioni  
calidæ, digestionem in animantium ventriculis possibili-  
lem caloris gradu superanti, commisi, visurus, an in  
hoc menstruo cinnabaris solutio insequi vellet. Protra-  
cta per aliquot dies digestione, liquor levissima flave-  
dine tintitus adparebat, et si ceteroquin tota injectæ  
cinnabaris moles, citra coloris mutationem, in fundo  
jaceret quieta. Liquori à cinnabari decantato, atque  
filtrato, præcipitandi fine acetum destillatum instillavi,  
at ille, pristinam pellucidatatem retinens, nihil ad fun-  
dum dimittere videbatur: Die vero in sequente fundus  
tenuerrimo pulviculo ex albido-flavescente paullulum  
obductus erat, qui neutiquam tamen, ob nimis exiguum  
quantitatem & insignem teneritudinem, colligi poterat,  
& dubio procul ex minutissimis sulphuris moleculis, per  
menstruum abrasis & solutis, constabat. Sed caveant cin-  
nabaris patroni, ne inde novum, ad demonstrandam ejus-  
dem activitatem medicam, argumentum petant. In cor-  
pore enim humano nullum lixivium alcalicum, multo  
minus concentratum, reperitur, nulla sit digestio, gradu  
huic comparanda, & tam exigua præterea sulphuris  
quantitas diuturna digestione solvit, ut nulla ejusdem  
ratio medica possit haberi. Ad ipsam denique coctionem,

C

cujus

cujus ope paullò major partis sulphureæ in cinnabari solutio obtinetur, haudquemquam provocaturum esse spero, quæ, uti monstrabunt sequentia, in corpore neque fit, neque absque momentanea vita jactura fieri potest. Tanta præterea solutio memorata non reperitur, quanta vulgo creditur: Nam, cum cinnabaris portionem aliquando cum concentrato lixivio alcalico per integrum horam ebullire permitterem, perfecta cinnabaris dissolutio nequaquam insecuta est, sed, citra ullam mercurii resuscitationem, liquorem solummodo obtainui alcalico-sulphureum, qui durante coctione ingratum odorem sulphureum spirabat, & post filtrationem eleganti colore dilute-aureo, & sapore alcalico-sulphureo praeditus erat. Aceto, per aquæ fortis additionem fortiori reddito, instillato, odor ingratus sulphureus iterum increcebat, & color dilute-aureus in pallidum mutabatur, at nihil sulphurei sub instillatione acidi ad fundum secedebat, sed die sequenti fundus vitri tenerrimo duntaxat pulvisculo flavescente, & que ac in priori præcipitatione, conspersus erat, manifesto documento, etiam coctione satis diuturna ac valida parum sulphureæ substantia cinnabari eripi.

## THES. X.

Diu in mortario lapideo trita nullas, naribus percipientias, emittit particulas: Per ignem vero in halitus quidem resolvitur, at intensior Vulcani tortura, quæ gradum, ad aquæ ebullitionem necessarium, longè superat, requiritur; à blando autem calore talis resolutio halituosa nunquam exspectanda est.

## THES. XI.

Quæ cum ita sint, quis amplius igitur à cinnabari activitatem medicam internam sperabit? quis amplius eidem

cidem vires anodinas, antispasmodicas, antepilepticas, cephalicas, cardiacas, aliasque excellentiores tribueré audebit? Quicquid enim, post adsumptionem, singularem ac verè medicum effectum in corpore edere, & ad humorum circulantium massam transferri debet, vel antea in ventriculo & intestini solvi, vel in halitus tenerrimos mutari, adeoque, vel per modum *ffiltrationis*, vel *inbalationis*, vasa lactea ac bibula venosa intrare ac permeare debet. Cinnabaris autem, ut luculentissime ex praecedentibus constat, neque à menstruis aqueis, falsis, acidis, &c. solvit, neque blando calore in halitus mutatur, adeoque etiam nulla ejusdem in prima culina à temperato liquore gastrico *a*) solutio, nulla per humidum atque mitissimum corporis calorem *b*) resolutio halituosa, nulla per consequens translatio ad sanguinem, nulla denique in partibus remotissimis salutaris actio speranda est.

*a*) Liquores præter bilem singuli, *salivalis*, *oesophagus*, *gastricus*, & *pancreaticus*, ex glandulis ad ventriculi & intestinalium cavitatem confluentes, in statu naturali aquo-falsi temperatissimi sunt, quemadmodum id BOERHAAVIVS *a*), SCHVRIGIVS *b*), aliquæ satis superque comprobarunt. Subinde quidem, præsertim alimentis vegetabilis prosapiaz largius ingestis, subtili ac debili aciditate, non secreta ex saliva, sed post chymi ac chyli fecessum ab esculentis ac potulentis relicta, plus minusve inveniuntur remixti; at nunquam tamen ad tantam illa acredinis gradum evehit, ut cum debiliiori acido minerali comparari queat. Quod alcalia autem salia attinet, eorum nullum, durante sanitate, neque in his, neque reliquis corporis liquoribus reperitur: „Sal alcalinus

C. 2

linus

*a*) Vid. ejusd. Præfct. academic. ab Excell. Hallero edit. Vol. I. p. 147.  
it. p. 229; it. Institut. §. 66, 77, 101. *b*) Tract. de Saliya humana.

„linus purus & evolutus BOERHAAVIVS inquit  $\alpha$ ), nem  
 „ni visus est in corpore humano, & si adesser, citum fi  
 „nem faceret vitæ: Nullus in sanguine est, in bile nul  
 „lus, longe certe minus exspectandus ab aquoso ventri  
 „culi liquido &c. Quomodo itaque liquor gastricus, ei  
 demque natura & operatione simillima debilia menstrua  
 reliqua, cinnabarinum in ventriculo solvere atque dissol  
 vere valent, quum tamen illa ipsa similis naturæ solven  
 tibus, ilisque longe concentratioribus atque fortioribus,  
 obtemperare obstinatè renuat? Non licebit quoque ad  
 bilem confugere; quippe quæ, ceu liquor aqueo-gummo  
 fus saponaceus, & sale acido, alcalico, & neutro explicito  
 prorsum destitutus, leniter quidem vellicandæ tunicae in  
 testinorum nervosæ, mucidisque impuritatibus blandè ab  
 stergendis, minimè autem fixis ac duris ejusmodi concre  
 tis solvendis ac recludendis apta existit.  
 $\beta$ ) Qui ignis atque caloris gradum, ad mercurii vivi & cin  
 nabaris sublimationem, vel saltē aquæ simplicis ebul  
 litionem suscitandam necessarium, cum blando corporis  
 humani calore debitè comparat, facilimè perspiciet, in  
 gentem hic differentiam occurtere, & halitusam cinna  
 baris resolutionem in ventriculo plane impossibilem esse.  
 Observante enim sèpius laudato BOERHAAVIO  $\beta$ ) calor  
 naturalis in corporibus sanis ultra nonagesimum quartum  
*Thermoscopii Fabrenheitiani* gradum nunquam adscendit, nec  
 adscendere quoque debet; alias febres igniculi confe  
 stim accenduntur, & humores in putredinem, vel calore  
 præternaturali adhuc notabilius crescente, in coagulum  
 abeunt, aut tamen abituos sese minantur. Ad produ  
 cendum  $\gamma$ ), vero aquæ motum ebullientem ducentesimus  
 & decimus secundus vel tertius gradus, tandemque  
 ad mercurium currentem, (cum quo in hoc passu cinna  
 baris, tanquam mercurius sulphure ligatus, comparanda  
 est), in vapores resolvendum, gradus sexcentesimus  
 requi

---

$\alpha$ ) In Praelect. acad. Vol. I. p. 220     $\beta$ ) V. Chemiaæ T. I. p. m. 228, 350.  
 $\gamma$ ) L. c. p. 228, 251, 352.

requiritur. Heu, quanta differentia! Quid igitur, mi obstinate cinnabaris patrone, futurum credis, si calor in corpore ad gradum sexcentesimum, vel saltē ducentesimum, & decimum tertium, qui nondū tamen cinnabari in halitus resolvendā sufficit, evehetur & evehī posset? Nonne in casu priori momentanea universi corporis destruētio, & in posteriori universalis sanguinis ac lymphæ coagulatio infecutaria effert?

## THES. XII.

Nulla quoque verisimilitudine gaudet, integras cinnabaris pulverisatae moleculas, ut ut exilissimas, absque prævia solutione aut resolutione vaporosa, vasa lactea ac reliqua absorbentia lymphatico-venosa intrare, permeare, & absque ambagibus, vel per ductum thoracicum perpendicularē devolvi ad sanguinem. Nam chartæ bibulae poros, ut antecedentia docent, neque cum aqua pura, neque liquoribus aliis transeunt, & vascula memorata præterea tubuli capillares sunt, qui nil, nisi fluida subtiliora & ipsis tubulorum tunicis specificē leviora, recipiunt, atque transmittunt a). Hisce accedit, quod gravissimæ hujus pulveris moleculæ, sub motu peristaltico, tunicae nervoso-musculoſe contractione propulsæ, multò facilius recta per longè ampliorem intestinorum canalem progredi, quam, penitus deficiente filtratione atque inhalatione, exilissimos ac laterales hosce tubulos intrare valeant. b)

a) b) Corpora, quæ ipsis tubulis capillaribus specificē graviora sunt, nec solutionis aut resolutionis vaporosæ ope leviora reddi possunt, internis tubulorum capillarium parietibus adhærere, adeoque etiam illos subire ac permeare nequeunt; quam veritatem experimenta, cum tubulis capillaribus vitreis plus vice simpliciæ physicas instituta, abunde confirmant. Nunc autem vasa

Lactea atque bibula reliqua sunt tubuli capillares, cinnabarinae autem moleculae ex adverso corpuscula, vasorum capillarium tunicis longe graviora, nec solutionis aut resolutionis halitusq[ue] ope leviora reddi possunt, hinc illis neque adhaerere, neque ingredi ea ac permeare possunt. Magis memorata ipse mercurius currens confirmat, qui, licet fluidum existat mobilissimum, nunquam tamen ob caussam eandem vasa lactea intrat, sed denuo per alvum absque formaz mutatione excernitur, etiamsi subinde in pertinaci passione iliaca, ad integrum libram & ultra, adsumptus fuerit, & satis diu, antequam excluderetur, in intestinis latitaverit  $\alpha$ ). Si itaque mercurius currens vasa lactea subire nequit, quis igitur, fixam actorpidam cinnabarim ea ingressuram esse, sibi persuaderi patietur? Provocant quidem strenui cinnabaris defensores ad intestinorum sub motu peristaltico pressionem: Sed sciant, motum peristalticum nequaquam, uti multi credunt, præcipuum esse caussam, cur chylus & liquida alia tubulos capillares chyliferos ingrediantur: Sciant quoque, laudata pressione cinnabarinas moleculas magis per ampliorem & cerro intuitu rectam intestinorum fistulam, quam in angustissima ac lateraliter posita vascula lactea, pelli ac promoveri. Secundum vulgarem enim experientiam fluida, nec minus solida, in pollinem redacta, & largiori liquorum adfluxu ad aliqualem fluiditatem perducta, pressione in motum concitat, versus illum locum vel illam plagam magis procurrere solent, ubi minimam inveniunt resistentiam: Nunc autem resistentia minor est in canale ampliori, quam angustiori; ergo fluida etiam, nec minus solida subtilissime pulverifata & larga fluidorum miscela ad aliqualem fluiditatem perducta, magis in ampliorem, quam angustiorem canalem, promoventur. Quæ si ritè adplicantur, cognitu redditur facillimum, subtilem cinnabaris moleculas prædictas pressione

$\alpha$ ) Vid. Miscell. Acad. N. C. G. Dec. 1, ann. 6, Obs. 176.

pressione magis juxta tractum intestinorum per canalem ampliorem, quam versus parietes & in exilissima vasa latea propelli, & sic certius cum excrementis per alvum excludi, quam ad massam sanguinis devolvi.

### THES. XIII.

Absorbendi denique virtute, quae ipsis, in primis viis latitanti, superesse videbatur, prorsum destituitur cinnabaris. Corpora enim, quae acida absorbent, vel tota, vel ex parte, corroduntur, & levissimam superficiei corrosionem major vel minor ejusdem, quoad formam, atque colorem, alteratio sequitur. Verum nihil horum observatur in cinnabari pulverisata, etiam diutissime in concentratis liquoribus acidis relictâ, immo, splendentes moleculæ grandiores, iisdem injectæ, metallici sui nitoris ne minimam jaeturam faciunt: Ergo ab acido, in ventriculo & intestinis fortassis stabulante, neque arroditur in superficie, neque totaliter corroditur, & per consequens nihil quoque acidi, aut alterius materiae acidæ, absorbet & absorbendo extingvit.

### THES. XIV.

Si cinnabaris nullani itaque acrimoniam in prima culina absorbendo extingvere, nec lactea atque sanguifera vasa ingredi potest, nullas quoque vires medicas, multo minus anodynæ, antispasmodicas, antepilepticas, nervinas, cephalicas, cardiacas &c. exserere valet <sup>a)</sup>, & jure idcirco ex activorum medicaminum censu exterminanda, & ad fatua, inertia, ac mera pigmenta releganda est,

<sup>a)</sup> Quando dissentientes pugnare rationibus, iisdemque imaginarias cinnabaris virtutes amplius defendere negount, tandem, vincendi spe destituti, ad empiricorum castra recurrent, ac magno clamore dicere haud erubescunt: *Quanquam ratio viderur contraria, sapius nihilominus compre-*

comperitum est, cinnabarim cum emulsione amygdalina non tantum in  
vasa lactea penetrasse, sed, testantibus practicis magne fama, medi-  
cos, eosque egregios, exseruisse incorpore effectus. Sed caveamus,  
ne narratiunculis eorum simpliciter adhibeamus fidem,  
naniisque hisce glaucoma nobis facere permittamus: Quæ  
enim de emulsione amygdalina cinnabarina, in vasa lactea  
translata, dicuntur, mera figura sunt, experimentis,  
apud canes à medicis fide dignis providè institutis, plane  
contraria, & reliqua, quæ de effectibus egregiis, à practi-  
cis nonnunquam post cinnabaris exhibitionem annota-  
tis, referunt, fallaciis causarum unicè originem debent.  
Quem enim later, cinnabari ordinario salina varia, nitrofa, aliqua activitate  
prædicta, misceri, eademque effectibus, qui fructu ab inerti cinnabari ex-  
spectantur, edendis ex parte apitissima esse? Probe igitur inter effectus, vere  
ab usu medicamenti deducendos, & inter mutations, quæ sub hujus vel il-  
lius pharmaci usu superveniunt, distingendum est, ne inertibus activita-  
tem, & activis inertiam injustè tribuamus.

## THES. XV.

Cum cinnabari, quod ultimò adhuc monendum  
est, *æthiops mineralis* in eadem classe collocari meretur.  
Convenit enim cum illa quoad elementa ac vires, præ-  
terquam, quod plus sulphuris, laxius paullò cum mer-  
curio cohærentis, in mixtione foveat, & proinde aliqua,  
ut ut exigua, virtute anthelmintica fortassis gaudeat. a)

a) Coronidis loco, ut rationi & experientiæ auctoritas quoque accedat, BOER-  
HAAVII de æthiopo minerali judicium & quidem ipsissimis verbis subjun-  
gam: „Æthiops mercurii, in Chemiæ T. II. p. m. 431. scribit, datus intra cor-  
pus, non valer vasa absorbentia venosa, vel chylifera, vel lymphatica in-  
gredi, sed recta tantum per fistulam intestinalem propulsus, si fortunato  
operatur, vermis forte necatis, anno exit. Decipiuntur, qui alios inde  
effectus sperant, quos inde natu nonquam videre potui. Incautos vere-  
or, qui tanta copia infantibus, puellis, & tenèrioribus, exhibent, alienam,  
naturæ indomitam, massam fossilem; tanto suspectiorem sanè, quo pi-  
gori inertia, diutius restat, Salivationem non ciet: quia venire nequit  
in sanguinem. Quis vero scit effectus à materie, quæ composita quadiu-  
manet, non videtur actuosior quacunque ponderosa insulsa terra?

T A N T V M,

**S**innober unter Pulver mengen?  
Der Kranke wird vom Ansehn stark.  
Und in der Zahl, die seinen Werth verdrängen,  
Verwürfst auch Du den schönen Quark?  
O nim doch, Freund, den Crato zum Exempel,  
Dem manches Glück in seinen Euren kam;  
Weil Er in Meditrinens Tempel  
Zinnober mit zum Altar nahm.

**B**edenke, Freund, noch grosse Lichter  
Um Meditrinens Brandaltar;  
Bedenk auch nur die murrischen Gesichter;  
Bewegen sie nicht schon Dein Haar?  
Die Schmähsucht röhrt so wenig Deine Säfte;  
Als ächten Ruhm des hämischen Neides Gist;  
Der, wie Zinnober, ohne Kräfte  
Dein Lob auch igt vergebens trifft.

Hiermit wünschte dem Herrn  
Respondenten Glück  
**Friedrich Borchard,**  
Berolinus.  
Oppon. ordin.

**S**ewis Zinnober ist an hoher Farbe reich;  
Kein Auswurff der Natur kommt seiner Röthe gleich,  
Sein äuserlicher Werth zeigt sich im Bilder mahlen:  
Drum kan der Mahler nur mit deßen Schönheit  
prahlen;  
Dass aber seine Krafft selbst in der Arzenei  
In Pulvern untermisch't ein Unvermögen sei,  
Dass sein s̄besondrer Ruhm bishier umsonst gewesen  
Lässt sich aus dieser Schrift unwiedersprechlich lesen.

Mit diesen wenigen Zeilen  
wünschte seinem Bruder  
Glück

**Christoph Ehrenfried Lindner,**  
Der Nechte besiegelter.




01 A 6603

ULB Halle

003 092 291

3







DISSE<sup>T</sup>RAT<sup>O</sup> PERIODICA  
DE  
**CINNABARIS  
INERTIA MEDICA.**

QVAM  
PRAESIDE  
**IOHANNE FRIDERICO  
CARTHEVSER**  
MED. DOCT. ET PROF. PVBL. ORD.  
DIE IX. MARTII, MDCCXXXIII.  
H. L. Q. C.  
DEFENDET  
**IOH. CHRISTIANVS LINDNER,**  
LIGNIZENS. SILESIUS.

FRANCOFVRTI AD VIADRVM,  
TYPIS PHILIPPI SCHWARTZII, ACAD. REG. TYP.